

tionem. Sed ut Rebecca, uxor Isaaci, non tantum electum à Deo Iacobum; sed & reprobatum Esavum, eodem utero, gestabat, quorum tum modo hostilis animus se, magno cum matris dolore, mutua collisione, ostendebat Gen. 25. 22. 23. ita externa & visibilis Dei Ecclesia, etiam ubi verbum Dei sincerè prædicatur, & sacramenta totusque cultus, publicus & privatus, juxta ejus institutionem, peragitur, non tantum electos & sinceros Christianos, Dei que filios; sed & reprobos, hypocritas, & filios diaboli, intra se, continet: qui diverso & contrario spiritu animantur & aguntur, & ut contraria elementa in corpore mixto, & hostiles partes in bello, contra se invicem agunt & pugnant. Imò sicut in uteris mulierum, præter foetum humanum, aliquando mola & substantia aliqua non naturalis, aut etiam mala & humano foetui noxia & exitiosa bestia, concipitur, formatur nutritur, & tandem, in lucem prodit: Sic in externa & visibili Dei Ecclesia non tantum per ministerium verbi & sacramentorum, cooperante Dei Spiritu, concipiuntur & formantur veri Dei filii, ad imaginem & similitudinem Christi servatoris sui: sed etiam, cooperante Satana & corrupta hominum naturâ, concipiuntur, foventur & producuntur ibi homines carnales, mundani, vitæ spiritualis expertes, monstrosi & abominabiles coram Deo, venenati & veris Christianis infesti & noxii, canes & porci, vulpes & lupi, serpentes & viperæ, ut Scriptura ipsa loquitur. Ambrosius Pareus *lib. 19. cap. 3.* refert ex Lycosthene, quod mulier quædam Polonica, anno 1494. Cracoviæ mortuum infantem pepererit cui in dorso serpens adnatus erat, à quo miserabiliter ad morsus fuerat. Tales mortuos foetus multos habet externa Dei Ecclesia, in quibus species & forma quædam externa Christianismi cernitur: vera autem vita & vigor omnis abest: & in quibus antiquus serpens vivit, viget, agit & facultates omnes depascitur, prohibetq; ne spiritus vitæ Christi ibi locum inveniat. Memorabilis planè est historia, quam Lævinus Lænius, *de occultis naturæ miraculis libri primi capite octavo*, his verbis describit. *Superioribus annis me usa est Medico mulier quædam insularis, quæ cum ex nautici generis homine concepisset, in tantam tamq; inusitatam molem illi capit intumescere uterus, ut non videretur suffectura gestando oneri. Decurso exactoque novem mensium spatio, quod anni dodrantem conficit, accitâ obstetrice, primum, magno conatu, ac molimine, massam quandam informem enixa est: quam superfoetata, post legitimum conceptum, conjicio: cui utrimque ansæ duæ annexæ erant, in brachiorum longitudinem ac modum exporrectæ. Palpitabat*

pitabat